NONNULLA
DE
HIPPOCRATIS COI
COGNITIONE ANTHROPOLOGICA.

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
SIBI CONCEDANTUR
DIE II. M. AUGUSTI A. MDCCCXXXIV
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENSURUS EST
AUCTOR

SAMUEL HIRSCH
GEDANENSIS.

OPPONENTIBUS:

H. BAMBERGER, MED. DOCT. PRACT.
M. B. LESSING, MED. ET CHIRURG. DOCT.
S. OPPLER, MED. ET CHIRURG. DOCT.

BEROLINI,
TYPIS PETSCHII.



VIRO

AMPLISSIMO, DOCTISSIMO

J. A. FRANCOLM,

PHILOSOPHIAE DOCTORI, SCHOLAE GUILELMAE VRATISLAVIENSIS MODERATORI ETC.

JUVENTUTIS SUAE DUCI SAPIENTISSIMO

HASCE

QUALESCUNQUE PAGELLAS

PII GRATIQUE ANIMI SIGNUM

D. D. D.

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Quae a summo celeberrimoque antiquitatis medico, Coo Hippocrate, de corporis humani ejusque sani natura et indole nobis traditae sunt sententiae hoc libello breviter componere constituimus. Hoc autem ut susciperemus consilium, illud potissimum nos monuit, quod neque eorum medicorum, qui ante Hippocratem floruerunt, neque eorum, qui aequales ejus fuerunt, nobis servata sunt scripta, ex quibus veterum de hac re opiniones cognoscerentur; ita ut illae divini senis sententiae, quas quidem ex ipsius scriptis depromere licet, pro primis

historiae disciplinae anthropologicae, quam vocant, fontibus haberi posse facile appareat. At erunt fortasse, qui mirentur, quod non physicorum antiquissimorum de natura humana opiniones et commenta huc pertinere judicemus: in hoc tamen monendum erit, et eorum scripta funditus fere interiisse et eos, quantum quidem ex paucis, quae nobis supersunt, fragmentis intelligi potest, non tam integre judicasse ac Hippocratem, qui in perscrutanda aegrotantis corporis natura et sani rationem et indolem semper respicere debebat, illius modi tamen commentis atque hypothesibus plane neglectis.

Ceterum quam multa sint, quae in hoc libello desideres, L. B., nosmetipsi optime intelligimus; praesertim quum in persequendo consilio et eruditio nobis defuerit et ea, qua de Hippocratis disciplina apte judicaturo opus est cum gravissimo illo auctore familiaritas. Itaque indulgenter accipias hocce tironis opus-

culum, et vitiis, si quae adsunt, candide ignoscas.

Ex multis Hippocratis scriptis ea tantum inter genuina duximus atque iisdem in opusculo conscribendo usi sumus, quae ex judiciis clarorum virorum pro simplicitate gravitateque sua maximo illo clarissimoque antiquitatis medico dignissima videntur. Sunt autem haec:

I. De aëre, aquis et locis liber.

II. De natura hominis liber (ex parte modo genuinus).

III. Prognosticon.

IV. Praedictionum liber secundus.

V. De morbis popularibus liber primus et tertius.

VI. De victus ratione in morbis acutis tres primi libri.

Liber vero quartus jam Galeno spurius visus est, qua de re Haller quoque cum hoc consentit „vel ob formularum in hoc libro numerum et ob

medicamenta, quae in legitimis scriptis Hippocratis non reperias." Vide Hippocratis opera ed. Haller, Tom. I. p. 228.

VII. De capitis vulneribus liber.

VIII. De fracturis liber.

IX. Aphorismi.

Hippocratis de anatomia peritia non tam e cadaverum humanorum dissectione, quam ex contemplatione partium, quas fors in sanandis morbis et vulneribus oculis ejus obtulit, orta esse videtur. Saepius vero et nunquam a se perspecta sed mere cogitata profert Hippocrates, prout quaeque ipsi ad status morbosos explicandos tractandosque viderentur aptissima: sic quaedam de cerebri indole, uteri fabrica, venarum distributione, cujus quidem accuratior descriptio, quae libro de natura hominis continetur, non ab ipso Hippocrate, sed a Polybo, genero ejus, originem ducit, quamquam, quum Hippocratis ipsius sententiis, in libris genuinis de loco venae secandae pronuntiatis, plane respondeat, opinionibus ejus consentanea habenda est. De cognitione Hippocratis singularum corporis partium haec sufficiant:

De ossibus multa reperimus in libris de fracturis et de capitis vulneribus dicta. Quorum haec commemoratione digna videntur.

De cranii ossibus eorumque structura atque suturis:

„Hominum capita nihil inter se similiter habent, neque suturae capitis in omnibus eodem loco

consistunt. Verum quisquis ex priore capitis parte prominentiam habet: est autem prominentia, rotunda ossis pars eminens prae alia: hujus suturae consistunt in capite, velut litera graeca *T* pingitur. Breviorem enim lineam ad prominentiam transversam constitutam habet; alteram vero lineam per medium caput, sed secundum longitudinem ad collum semper habet. Qui vero ex posteriore capitis parte prominentiam habet, hujus suturae etiam contrario priori modo consistunt. Brevior enim linea ad prominentiam transversa consistit; longior autem per medium caput, secundum longitudinem ad frontem semper constituta est. Quisquis autem ex utraque corporis parte, et anteriore et posteriore prominentiam habet; huic suturae sunt similiter constitutae velut litera graeca *H* scribitur. Consistunt vero longae quidem lineae ad utramque prominentiam transversae. Brevis autem per medium caput, secundum longitudinem ad utramque longam lineam desinens. At qui neutra parte ullam prominentiam habet, hic suturas habet, velut litera graeca *X* pingitur. Consistunt autem hae lineae, altera quidem transversa ad tempora pertingens, altera vero secundum longitudinem per medium caput."

„Duplex autem est os juxta medium caput; durissima vero et densissima suprema ipsius pars existit, et infima quae est ad membranam. Consimilis est color ossis sub carne, consimilis est color ossis inferne. Secedit autem a supremo ac infimo osse a durissimis ac densissimis ad mollius et

minus densum, et communius, ad duplicatam laminam. Est autem duplicata lamina cavissima et mollissima et maxime antrosa. Est autem et totum os capitis, excepta valde modica suprema ac infima parte, spongiae simile, et habet os in se ipso caruncula similes multas humidas, et si quis ipsas digitis conterat, sanguis utique ex ipsis prodierit. Sunt etiam in osse venulae tenuiores, ac caviores, sanguinae plenae. Quod igitur ad duritiem et mollitiem et cavitatem attinet, sic habet. Quod vero ad crassitudinem ac tenuitatem, hoc modo:

„Universi capitis os tenuissimum est, quod est circa sinciput; et carnem paucissimam ac tenuissimam hac parte os in se ipso habet, et cerebrum hac capitis parte plurimum subest."

„Caeterum ex reliquis ossibus id, quod circa tempora est, debilissimum est. Commissura enim est infernae maxillae ad calvariam, et motus in temporibus sursum ac deorsum velut articuli; et auditus prope ipsum est; et vena per tempora extenta est cava ac fortis. Omni vero capitis osse robustius est os verticis; et quod est retro aures, robustius est quam totum, quod in anteriore parte est; et carnem ampliorem ac profundiorem in se ipso hoc os habet."

De capit. vulnerib. Hipp. opp. ed. Haller. Tom. I. p. 431—34.

„Puerorum ossa et tenuiora et molliora sunt, ea de causa, quod sanguinolentiora sunt et

cava, et neque antrosa, neque densa, neque solida." Ibid. p. 446.

„Sutura asperior existit reliquo osse."
Ibid. p. 440.

„Proclive est hac parte (circa ipsam suturam) os rumpi ac dissolvi, propter ossis hac parte debilitatem et raritatem et propterea, quod parata sit sutura, ut rumpatur aut dissolvatur."
Ibid. p. 440.

Costas nonnullis in locis commemorat, quin haec ossa fusius describat.

Extremitatum vero ossa accuratius descripta invenimus.

„Pes hominis ex multis et parvis ossibus compositus est, quemadmodum etiam summa manus."
De fracturis ed. Haller. Tom. I. p. 293.

„Femoris articulus pro magnitudine expeditior est quam brachii et justam naturam solum habet, eamque rotundam. Brachii vero articulus et magnus est et sinus plures habet. Ad haec vero, tibiae ossa longitudine inter se similia sunt, et externum os paululum ne memorabili quidem modo excedit, nullum magnum impedimentum adferens, a quo externus tendo circa poplitem enascitur. At cubiti ossa inaequalia sunt, et quod brevius est multo crassius est, quod vero tenuis est, multum superat et excedit articulum. Dependet tamen et hoc ex nervis, juxta communem ossium connexionem. Majorem autem partem con-

nexionis nervorum in brachio os tenue habet quam crassum." Ibid. p. 320.

„Tibiae duo ossa sunt, quorum alterum altero hac parte multo tenuius est, illa vero parte non multo tenuius. Cohaerent autem inter se juxta pedem et appendicem communem habent. Verum in rectitudine tibiae non cohaerent. Juxta femur autem cohaerent, et appendicem habent, et appendix discriminationem. Longius vero paulo alterum os est, quod secundum parvum digitum est." Ibid. p. 296.

„Os enim hoc (calcaneus) et supereminet quidem sub tibiae rectitudinem, communionem vero habet cum venis ac nervis principalibus. Tendo autem posterior huic ossi annectitur."

Ibid. p. 294.

Medullam ossium semel modo perstringit:

„Quibus femoris aut brachii os extra eminet, hi non valde superstites evadunt. Nam ossa magna sunt et multum medullae habent."

De fractur. p. 318.

Cartilaginum commemoratio fit:

Aphorism. XIX. Sect. VI.

Ligamenta, tendines atque, ut videtur, nervos ipsos uno tantum nomine nervorum comprehendit confunditque. Saepe vero verba de iis facit:

„Vulnera in articulis, quae quidem magna sunt, si penitus abscissi nervi sunt, absque dubio claudos reddent." Praediction. Lib. II. p. 211.

E membranis: cutim, duram matrem:

„Quaecunque vero ossa intro contusa cedunt ex sua ipsorum natura, rupta aut etiam dissecta, valde ampla, talia minus periculosa sunt, ubi membrana sana fuerit."

De capit. vulnerib. p. 445.

et omentum (Aphor. XLVI. Sect. IV.) commemorat.

Singulorum musculorum cognitionem, excepto diaphragmate (Aphor. XVIII. Sect. VI. atque Aphor. LIV. Sect. VII.), nusquam reperimus. Carnes vero commemoratae sunt:

„Crassissimae enim ac fortissimae quum sint hac parte (in femore) carnes deligationem superabunt."

De fractur. p. 303,

Nullam quidem inter venas arteriasque distinctionem facere videtur Hippocrates, quamquam arteriarum effectus ei noti erant. De pulsu enim eum dicere elucet:

„Si quis utroque et potu et cibo immodice usus fuerit, praeter febrem et spirandi difficultatem, etiam ventrem circumtentum et majorem habebit. Licet porro et haec et alia omnia experimentis optime explorare. Primum equidem etc. Deinde qui manibus contrectavit ventrem ac venas, minus falli potest quam qui non contrectavit."

Praedict. Lib. II. p. 197.

Venarum autem distributio haec est:

„Venarum crassissimarum in corpore paria quatuor (adsunt).

Unum quidem a capite retro per cervicem parte exteriori ad utraque spinae latera, atque inde in coxendices et crura pervadit; deinde per tibias usque ad exteriores malleolos et ad pedes pervenit.

Alterum autem par venarum exordium ducit a capite juxta aures per cervicem (quae jugulares vocantur) intro secundum spinam utraque ex parte ad lumbos, et in testes et femora, et per poplites interiori ex parte, indeque per tibias ad malleolos internos atque ad pedes defertur.

Tertium par venarum ex temporibus per cervicem sub scapulis et inde ad pulmonem defertur: haec quidem ex dextris ad sinistra, illa vero a sinistris ad dextra. Ac dextra quidem ex pulmone mammam subiens et ad lienem et renem tendit: quae vero a sinistris ad dextra procedit ex pulmone mammam subiens et hepar et renem petit. Utraque postremo in rectum intestinum desinit.

Quartum venarum par ab anteriore capitis parte sub cervicem et claviculas desinit, deinde vero per superiora in brachiorum flexus tendit, posteaque per cubitos ad primas manuum juncturas et digitos: a digitis rursus per cubitos et superiores manuum partes in flexuras et per superiorem brachiorum partem ad axillas, perque summas costas, haec quidem ad lienem, altera vero ad jecur devenit, postea supra ventrem in pudendum utraque desinit."

De natura hominis p. 46 .47.

De venis in extremitatibus disserit:

„Multum etiam differt, an in interna brachii et

femoris parte ossa extra promineant. Multae enim et periculosae venarum extensiones in interna parte sunt, quarum aliquae si vulnerentur, lethales sunt. Sunt autem et in externa parte, verum minus." De fractur. p. 318.

De humida cerebri natura loquitur:

„Quum enim aestus derepente supervenit ac terra humida est a vernis imbribus et ab austro, necesse est aestum conduplicatum esse et a terra irrigua et calida et a sole adurente, quum ventres in hominibus nondum constricti sunt, neque cerebrum resiccatum."

„Pituitosis igitur dysenterias fieri, veri simile est; et mulieribus pituita a cerebro defluente."

De aëre etc. p. 16. 17.

Medullae spinalis fit mentio:

Praediction. Lib. II. p. 212.

Viscera magna omnia fere ei nota erant. Etenim pulmonum, bronchiorum, oesophagi:

„Nam cum aliis virtutibus ptisanae lubricitas efficit, ut hordeum quum devoratur minime laedat; nusquam enim adhaeret, neque secundum thoracis rectum tramitem moram trahit."

De victus ratione. p. 234.

utriusque ventris et superioris et inferioris:

„Tales vero edaces et siticulosos esse par est, ventresque tum superiores quum inferiores siccissimos habere."

De aëre etc. p. 9.

intestinorum tenuium, hepatis, lienis,

renum, vesicae urinariae, urethrae, praesertim feminarum:

„Meatus vesicae brevis est et amplus, ita ut facile urina impellatur." De aëre etc. p. 15.

testium, uteri:

„Quaecunque (mulieres) moderate corpus habentes abortiunt bimestres et trimestres, his uteri acetabula muco plena sunt et non possunt fetum continere prae gravitate, sed abrumpitur."

Aphor. XLV. Sect. V.

„Fetus masculi quidam in dextris, feminae vero in sinistris magis."

Aphor. XLVIII. Sect. V.

„Quibus os uterorum durum est, his necesse est osculum uterorum clausum esse."

Aphor. LIV. Sect. V.

Pudendorum (praeputii [Aphor. XIX. Sect. VI.]) mentionem facit.

De physiologica Hippocratis cognitione dissertrus Heckeri sententiam sequar:

„Es würde schwer fallen, aus Hippokrates Schriften, mit Weglassung des Unächten, und ohne gewagte Voraussetzungen eine zusammenhängende Physiologie darzustellen.

Geschichte der Heilkunde Bd. I. p. 124.

De nonnullis autem functionibus atque natura corporis humani quaedam satis luculenter disserit Cous, alia obscuriora relinquit. Omnia fere vero ex observatione aegrotantium hausta videntur, quae

tamen ita plerumque exponit auctor, ut morborum descriptionibus atque aliis, quae ad morbos pertinent, obruta nos elicere oporteat.

Quatuor quidem humores, qui corpus humanum constituant, Hippocrates affert:

„Corpus hominis in se sanguinem et pituitam, et bilem duplicem videlicet flavam ac nigram continet: et haec sua ipsi natura est corporis, et per haec dolet et sanum est."

„Dixi sane quaecunque hominem esse affirmavero, ea me demonstraturum eadem semper esse et instituto et natura. Dico etiamnum sanguinem esse et pituitam et bilem tum flavam cum nigram; atque horum quidem nomina primum ex instituto distincta esse assero, nullique ipsorum idem esse nomen inditum. Deinde species natura distinctas esse, nullamque pituitam simile esse sanguini, neque bili sanguinem, neque bilem pituitae. Quo namque modo haec inter se similia fuerint, quorum neque colores conspicientibus similes apparent, neque ad manus contactum similes esse videntur? neque enim calida consimiliter sunt, neque frigida, neque sicca, neque humida. Quum itaque tantopere inter se tum forma cum facultate differant, ea non unum esse necesse est; nisi ignis et aqua unum et idem sint."

„Cognata vero sunt ea praedicta; quomodo enim non essent cognata? Primum quidem haec omnia homo, quoad vita fruitur, semper in se

manifeste continet; deinde ex homine natus est haec omnia habente: postremo in homine nutritus est et haec continente omnia, quae nunc ego assevero ac demonstro."

„Si quid ex his, quae in homine sunt cognata, defecerit, is utique vivere nequeat."

„Haec igitur omnia semper hominis habet corpus; verum pro temporis circumstantia interdum quidem ipsa tum ex parte, cum ex natura, se ipsis singula ampliora, interdum vero minora redduntur."

„Augetur quidem in homine pituita quidem hyeme; haec enim ad hyemis naturam eorum, quae corpori insunt, maxime accedit, frigidissima namque est. Quod autem hyeme corpus pituita repleatur, hisce noveris; quod per hyemem homines maxime pituitosa tum exspuunt cum emungunt, tumores ipsis laxi, et albi per eam tempestatem, et reliqui morbi pituitosi oboriuntur. At vere adhuc quidem pituita in corpore valida manet, sed sanguis augescit. Nam et frigora remittunt et imbres succedunt; tuncque sanguis augetur, tum ex imbribus, cum ex diebus calidis. Nam secundum naturam ipsi haec ex anni tempestate potissimum insunt, etenim id anni tempus humidum et calidum est. Ex his vero noveris, quod homines vere et aestate potissimum dysenteriis corripiantur, et ex naribus sanguis ipsis profluat, calidissimi et maxime rubicundi sint. . . . Bilis autem aestate et autumno corpus occupat, id quod

hisce indiciis noveris, quod hac tempestate homines sua sponte bilem evomant et medicamentorum potionibus magis biliosa purgentur. Id quoque ex febribus et hominum coloribus patet. . . . Atra autem bilis autumno tam plurima quam vehementissima est." De natura homin. p. 38—42.

Caloris in corpore humano vigentis mentionem facit:

„Quod augescit corpus et ad robur procedit id calidum esse necesse est; at ubi marcescere corpus coeperit, et in ruinam praeceps delabitur frigidius evadit." De natura homin. p. 49.

„Ventres hyeme et vere natura calidissimi sunt et somni longissimi. Quapropter in his temporibus alimenta plura exhibenda sunt. Nam innatum calorem ampliorem tunc habent, alimento igitur ampliore egent." Aphor. XV. Sect. I.

De respiratione loquitur, inprimis vero de victus in respiratione efficacia:

„Quum multi homines uno morbo eodem tempore corripiuntur, in id, quod maxime commune est, quoque omnes utimur, potissimum rejicienda causa est; id autem est, quod inspirando trahimus... Ut aëris quam minimum in corpus influat, isque ut maxime peregrinus sit, providendum, tum regionum loca, in quibus morbus consistit, quoad fieri poterit permutando, cum corpora extenuando. Ita enim minime multum ac frequentem spiritum homines ex necessitate attrahent."

De natura hominis p. 44. 45.

„Necesse est eos, qui uberiore potu usi sunt difficilius spirare." Praediction p. 197.

„A multo densoque spiritu peragglutinatum cruditate sputum, egressum (spiritus) fieri prohibet, imo stertorem inducit, pulmonis bronchiis impactum; et ubi eo res devenit plerumque aegrum jugulat. Etenim ipsum sputum, intus impactum, spiritum quidem intro ferri prohibet, celeriter vero extra ferri cogit. Atque ita in (aegri) perniciem mutuas tradunt operas: nam retentum sputum densum spiritum facit; spiritusque densus quum sit, sputum agglutinat et lubricum fieri prohibet."

De vict. ration. p. 235.

Sternutationis causam ex capite derivat:

„Sternutatio fit ex capite, percalescente cerebro, aut vacuo, quod est in capite, perhumescente. Aër enim, qui intus est, foras erumpit. Strepitum vero edit, quia transitus est ei per angustum." Aphor. LI. Sect. VII.

De exhalatione cutis loquitur:

„Quin et ex ipsis hominibus tenuissimum et levissimum humorem educit Sol. Maximum vero hujus rei indicium sumere licet, ubi homo in Sole ambulaverit, aut sederit veste indutus, quascunque corporis partes Sol adspexerit, eae non exsudant. Sol enim quidquid apparet sudoris sursum rapit. Quod vero sub veste contegitur, aut sub alia re, sudorem emittit; per vim enim elicitur a Sole et exprimitur sudor; servatur autem a tegumentis, ne disperdatur a Sole; quum vero in um-

bram venerit, totum corpus similiter sudore perfluit; non enim Sol amplius affulget."

De aëre etc. p. 12.

De nutritione verba facit:

„Sunt autem et ex ventriculo venae per corpus multae ac variae, per quas in corpus alimentum transmittitur. Quae etiam a crassis venis, tum ab externis, cum ab internis, in ventriculum et reliquum corpus deferunt, sibique internae externis, et externae internis mutuo distribuunt."

De natura hominis p. 47.

„Hoc certe scire expedit, quod ossa, quae carnibus perfecte privantur ac exarescunt, omnia penitus discedent. A quibus vero squamae discessurae sunt, ea praesecare non oportet."

De fractur. p. 317.

De reproductione loquitur:

„Sed et omnia ossa tardius corroborantur, si non secundum naturam posita fuerint, itemque ea, quae non in eadem figura quiescunt; et calli quoque debiliores ipsis obducuntur."

De fractur. p. 305.

„Et quae (ossa) pluribus fissuris et amplioribus intro rupta sunt, adhuc minus periculosa sunt et ad detractionem faciliora fiunt, et nullum ex talibus perforare oportet, neque periclitari ossa auferre conando, priusquam sponte sua emergant, priore forma exsoluta. Emergunt autem carne subnascente. Subnascitur autem ex duplicata ossis lamina, et ex sano osse,

si superna ossis pars sola fuerit corrupta. Sic vero quam citissime et caro subnasci, ac germinare poterit, et ossa emerserint, si quis ulcus quam citissime suppuratum redditum, purum faciat." De capit. vulnerib. p. 445.

Aphorism. XIX. XXIV. Sect. VI.

Secretionis urinae mentio fit:

„Necesse est eos, qui uberiore potu usi sunt, plus urinae reddere." Praedict. p. 197.

„Quibus inter ventrem et septum transversum pituita conclusa est, non habens exitum ad neutrum ventrem, his, per venas ad vesicam conversa pituita, morbi solutio fit."

Aphor. LIV. Sect. VII.

„Qui sua sponte sanguinem mingunt, his in renibus venae ruptionem significat."

Aphor. LXXVIII. Sect. II.

„Ceterum urinam juxta potionis copiam mingere oportet, et semper aequalem et affatim effusam, et parvo momento crassiorem, quam id, quod epotum fuit."

Praedict. p. 200.

Lactis secretionis commemoratio fit:

„His, quae conceperunt, lac in mammis gignitur." Praedict. p. 220.

Menstruam purgationem affert:

„Verum interrogare oportet etiam de menstruis purgationibus, an omnibus mensibus compareant, et an copia satis magna, et an boni coloris sint, et aequales singulis temporibus, et

ratis mensium diebus, sic enim has fieri optimum est."
Praedict. p. 218.

„Si mulier, quae neque praegnans est, neque peperit, lac habet, menses ipsius defecerunt."
Aphor. XXXIX. Lect. V.

Lochiorum excretionem perstringit:

„Purgatio post partum in mulieribus (in paludosis regionibus) commoda non contingit."
De aëre etc. p. 9.

De digestione nonnulla invenimus:

„Quodsi praeterea coenaverint, acidum eructant; nonnullis etiam alvi liquida dejectio oboritur: quum praeter consuetudinem ventriculus pondere gravetur, resiccari consuetus, non bis intumescere neque bis cibos coquere."
De victus ratione etc. p. 240.

De victus in sanis justa ratione loquitur:

„Si quis subito victus rationem immutet, ne quid in corpore ex immutatione innovetur, periculum est. Sed solita victus ratio servanda est, ubi nihil quidem hominem laedere videtur."
De natura hom. p. 45.

„Quapropter etiam in sanis periculosus est valde tenuis et constitutus et exactus victus. Quoniam delicta gravius ferunt." Aphor. V. Sect. I.

Effectus cerebri medullaeque spinalis laesae commemorati sunt:

„Aegros, vulneribus capitis morientes, convulsio plerosque corripit in altera corporis parte." De capit. vulnerib. p. 447.

„Quibus cerebrum dissectum fuerit, his necesse est febrim et bilis vomitum accedere."

Aphor. L. Sect. VI.

„Quibus cerebrum concussum fuerit ex aliqua causa, eos statim voce privari necesse est."

Aphor. LVIII. Sect. VII.

„Medulla spinae si aegrotarit, sive ex lapsu sive ex alia aliqua causa, sive sua sponte, homo et cruribus imbecillis fit; ut neque, si tangatur, percipiat, et ventre ac vesica, ut circa prima tempora, neque stercus neque urinam egerat, nisi coacte. Quum autem vetustior factus fuerit morbus, non sentiente homine, et stercus prodit et urina. Moritur autem postea, non multo interposito tempore." Praedict. p. 212.

De pedum usu loquitur:

„Totum corporis pondus pedes vehunt."

De fractur. p. 293.

Semel modo de humorum in animum vi seu de temperamentis, ut vocant, loquitur:

„Si timor et tristia multo tempore perseveret, atrabiliarium hoc signum est."

Aphor. XXIII. Sect. VI.

De generatione autem multa dicta sunt;

De semine genitali:

„Semen genitale ex omnibus corporis partibus provenit, ex sanis quidem sanum, et ex morbosis morbosum. Si igitur ex calvis calvi gignuntur, ex caesiis caesii, et ex distortis ut

plurimum distorti, eademque in caeteris formis valet ratio, cur non etiam ex Macrocephalo Marcocephalus gignatur." De aëre etc. p. 21.

De conceptione:

„— Neque uteri genitale semen ad se rapere queunt, neque eis, ut decet, menstrua purgatio, sed parcior et longiore tempore contingit; ipsumque uteri os prae pinguedine concluditur, semenque genitale haud suscipit."

De aëre p. 27.

„Locum, in quo conceptio fit, quem sane uterum nominamus, sanum esse oportet et siccum, ac mollem. Sit item neque retractus, neque pronus, neque os ipsius sit aversum, neque occlusum, neque diductum; fieri enim non potest, ut conceptio fiat, quodcunque tandem talium impedimentorum affuerit." Praedict. 218.

„Quaecunque praeter naturam crassae existentes non concipiunt in utero, his omentum osculum uteri comprimit, et priusquam attenuentur, non concipiunt." Aphor. XLVI. Sect. V.

De graviditate:

„Quaecunque uterum gestant, his osculum uterorum clausum est."

Aph. LI. S. V. Aph. XXXVII. XXXVIII. XLI. XLII. S. V.

De genere humano in universum in libro de aëre etc. praeprimis multa ac praeclara dicit

Hippocrates, et maxime quidem de tempestatum, aquarum et regionum variarum in naturam et corporis et animi incolarum efficacia. Quorum nonnulla jam supra citata sunt. Haec vero addamus.

„Magna ex parte hominum formas et mores regionis naturam imitari reperias. Ubi enim terra pinguis est et mollis et aquosa; aquae vero valde sublimes, ita ut aestate sunt calidae et hyeme frigidae; ibi homines carnosi sunt, articulis non discreti, humidi, labores non ferentes, ac ut plurimum pravi animi. Quin etiam segnes sunt et somnolenti, et ad artes crassi, neque subtiles, neque acuti. Ast ubi regio nuda est, non munita (arboribus) et aspera, quaeque hyeme prematur, et sole exuratur; ibi enim duros, robustos, articulis discretos, nervosos et hirsutos homines cernas: et qui ad aliquid agendum natura sunt industrii et vigilantes; quique mores et affectus habent superbos, et pertinaces, magisque feritatis quam lenitatis participes; eosque ad artes acutiores et solertiores, et ad res bellicas gerendas meliores deprehendas. Quin et reliqua omnia, quae e terra producuntur, terrae ipsius naturam sequuntur."

De aëre etc. p. 32. 33.

CURRICULUM VITAE.

Natus sum ego Samuel Hirsch patre optimo Elkano Samuele, quem mihi praematura morte ereptum lugeo, matre carissima Henriette, e gente Gotthilf, qua superstite gaudeo, Gedani die quinto mensis Decembris anno nostri saeculi decimo, fidei veteri addictus. Primis literarum rudimentis in Gymnasio urbis patriae, quod tunc temporis Cel. Directore Meinecke floruit, imbutus sum. Tum Regiomontum me contuli ibique Gymnasium urbis Cel. Directore Struve per duos annos adii. Quo tempore praeterlapso Vratislaviam petivi, ibique Gymnasium Elisabetanum Cel. Directore Reiche per triennium et quod super est frequentavi. Testimonio maturitatis instructus Regiomontum redii; ubi die tertio mensis Maji anno nostri saeculi tregesimo ab Ill. Vogt t. t. Prorectore magnifico civibus Universitatis litterariae Albertinae et ab Ill. Sachs, facultatis Decano maxime spectabili, Medicinae studiosis adscriptus sum.

Praelectionum vero, quibus interfui, hic fuit ordo:

Docuerunt me Ill. Herbart logicen et psychologicen; Ill. Meyer botanicen et generalem et specialem; Ill. Neumann mineralogiam; Ill. Moser physicen experimentalem; Ill. Dulk chemiam experimentalem, zoochemiam et pharmaciam; Exp. Burdach jun. osteologiam, syndesmologiam, myologiam, neurologiam et cadaverum humanorum rite dissecandorum artem; Ill. de Baer zoologiam, zootomiam nec non angiologiam et splanchnologiam corporis humani; Ill. Burdach sen. physiologiam; Exp. Kruse materiam medicam et morborum syphiliticorum doctrinam; Beat. Richter therapiam generalem; Ill. Sachs pathologiam generalem, nosologiam et therapiam specialem; Ill. Unger chirurgiam, fascias imponendi artem, aciurgiam; Ill. Dietz aphorismos Hippocratis; Ill. Hayn artem obstetriciam.

Praeterea per duo semestria clinicum et policlinicum chirurgicum et ophthalmiatricum Ill. Unger, clinicum medicum Defunct. Elsner, policlinicum medicum Ill. Sachs, ducibus experientissimis, et auscultando et aegrotorum curam in me ipsum recipiendo frequentavi.

Semestribus septem praeteritis Berolinum me contuli, ubi ab Ill. Weifs, t. t. Rectore Magnifico die XVI. Mensis Octobris anno nostri saeculi trigesimo tertio in civium academicorum numerum et ab Ill. Osann t. t. Decano maxime maxime spectabili in Medicinae studiosorum ordinem receptus tum exercitationibus in theatro anatomico ducibus Ill. Müller et Ill. Schlemm, quum clinicis tam medicis quam chirurgicis obstetriciisque Illustrissimorum virorum Hufe-

land et Osann, de Graefe, Rust, Busch, Kluge summo cum studio et usus sum et utor.

Quibus praeceptoribus omnibus, viris illustrissimis doctissimisque, gratias, quas habeo, maximas refero.

Tentaminibus et examine rigoroso rite superatis, spero fore, ut, dissertatione thesibusque defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Dysenteria acutissimus est intestinorum catarrhus.

II.

Sunt morbi non letales.

III.

Medicamentorum vis in aegrotis solis exploranda est.

IV.

A mystica therapia medicum prorsus abstinere oportet.

V.

Nullus psychologus, nisi medicus.
